SACRILEGVM BALTHASARIS CONVIVIVM, ET POENA.

ORATORIVM

Muſicis exornatum modulis

A IO: BAPTISTA BIANCHINI

Sacroſanctæ Lateranenſis Archibaſilicæ, atque in hoc Sacello Sanctiſſimi Crucifixi, Phonaſco.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA ... EMANUELE

Romæ, Typis Reu. Cam. Apoſtolicæ. 1690.

Superiorum Permiſſu.

INTERLOCVTORES.

Balthaſar Rex.
Regina.
Daniel.
Aulicus.
Conſiliarius.
Dux Hoſtium.

Chorus { Conuiuarum. Vatum. Militum.

PARS PRIMA.

Cho. AD Menſas, ad gaudia, ad Choros.
Rex adeſt:
Ferte dapes,
Date modulos canoros:
Ad menſas, ad gaudia; ad Choros.

Aul. Procede thalamis
Regum fortiſſime,
Dapes dulciſſimæ
Sunt inſipidæ ſine te.

Alius. Vecta roſcis quadrigis
Formoſiſſima eſt aurora;
Sed nec fauſta, nec decora
Ridet Oriens præ te.
à 2. Procede &c.

Rex. Lecta ò Procerum Corona,
Voſque ò mei cordis deliciæ
Dum lætitiæ
Stata dies abit,
Iucundemur.

Cho. Iucundemur, epulemur, veneremur
Quem adorat Babylon.

Vnus. Vos ò Sydera, quæ fulgoribus
Pura Cæli ſpatia pingitis;
Vos quæ rapidis erroribus
Lapſus aureos Ethere fingitis
Super Regem,
Super Choros Conuiuarum

Liquefacta in gaudia fluite.
Alius. Vos ò leues auræ volantes
Quæ ſylentia pererratis:
Vos quæ vigiles amantes
Leni Flamine recreatis,
Venite, volate,
Feſtinæ portate
Omnes in Aulam Regis voluptates.
à 2. Ictu dulciſſimo
Tactu leniſſimo,
Iubila feriant,
Gaudia leniant
Regale Cor.
Rex. Eia tam celebris
Quos pompa colimus,
Quibus & ſacra decurrit Dies.
Vina libemus Deis.
Aul. Libemus: at ò Rex
Scyphis vulgaribus
Maſſica, Cretica
Libare dedecet
Dijs immortalibus.
Rex. Bene eſt. Miniſtri adeſte:
Huc ferte celeres
Aurea vaſa, & pocula,
Quæ meus olim genitor
Syònis è Templo ſuſtulit.
Conſil. Parce Rex: Frena licentiæ,
Immitte, dimitte

Dimit-

Dimitte
Periculoſæ
Plenum Aleæ Conſilium.
Vaſa, quæ ſacris vſibus Iſrael deſtinauit,
Nefas in vſum Cyathi producere.
Magne Deus eſt potentiæ,
Quem adorat Iſrael;
Sæpe iratus,
Telo armatus
Regum fregit Supercilium.
Parce Rex &c.

Rex. An Regibus vti non liceat rebus,
Quas iuſto licuit poſſidere bello?

Cho.min. En vaſa, quæ regio condita Sacrario
Iuſſiſti afferri.

Rex. Implete has lesbio pateras.

Cho. Euoe reſonent,
Inſonent Euoe,
Cuncta feſtiuo,
Rege bibente,
Reboent Euoe.

Rex. O mei dulces, cari Amores
Vos quoque hos latices
Siccate, & calices,
Vbi ſpumant falerni liquores.
Siccate,
Certate,
Donec nimia voluptate
In delicias liqueat Cor.

Cho. Nos læti bibimus
Potu contendimus
Pateris ludimus
Maxime Rex.
Eternum vale,
Eternum viue
Tu non mortale
Qui genus es.
Eternum vale;
Eternum viue
Viue in æternum viue.

Rex O ſuauiſsima
Factura inuidiam
Deis Conuiuia!
O ſic prætereant
Meæ vitæ dies:
O ſic intereant
Cordis faſtidia,
O ſuauiſsima &c.
Me quis beatior
In orbe eſt?
Me quis.....
..... Heu quid video?
Quæ ſpecies horrida
In luctum gaudia vertit?
Video in ſummo pariete ſcribentem Manum:
Video, & tremens digitos, ferales digitos timeo.

Aul. Rex fortiſsime quid vana
Times ab imagine?

Rex. Hei miſero quid minatur
Iſta manus?
Iſte arcanus
Scriptor?
Aul. Aude Rex confide, ſpera.
Vmbræ vaniſsimæ
Iocoſe ludere,
Timido illudere
Solent ſæpiſsime.
Sed poſt luſus, & iocos breues.
In Auras leues
Leuiores abeunt.
Rex. Sed ſcriptura,
Vna mei cordis cura,
Muro inciſa remanet.
Aul. à 2. Aude Rex confide, ſpera.
Rex. Heu ſibi conſcium pectus
Ingens præſagit malum.
Aul. Solent fulgida Tyrannis
Cælo inſcribi funera.
Non plus dura tecum sydera
Sunt, vel fata plus ſeuera.
à 2. Aude Rex confide, ſpera.

Finis primæ Partis.

PARS

PARS SECVNDA.

Rex SI tam ſæuo, tam maligno
Regum pectora flagello
Inimica exagitat ſors:
Minus pænæ
Seruiles Catenæ,
Minus doloris,
Anguſtiæ, mæroris
Ipſa feret ſæuiſſima mors.
At quæ morà? quid vocati venire differunt
Vates?

Ch. Vatum. En preſto ſumus

Rex Si ſcripta hæc legitis,
Et ſenſum indicatis
Purpura fulgebitis, & auro.

Ch. Vatum. Heu quam cæca voluimur ambàge!

Rex Veſtra, ò Numina ſi neſcire
Iuſſa debui; quid, ſcriptura?
Et ſi ſcire,
Quid obſcura?

Ch. Vatum. Da veniam Rex, quid indicent
Notæ arcanæ neſcimus.

Rex Ite, ite inſanæ,
Vanæ, ignaræ Haruſpicum mentes:
Quàm dementes
Sunt, qui faciles audiunt vos!

Reg. Care Coniux in amaras
Quid liqueſcis lacrimas?

Parce

Parce querulis ſingultibus
Parce duris vocibus.
Quid mea vita
Lacrimarum
Merſa perit fluctibus?
Care coniux &c.

Eſt in Aula qui ſcripturam
Regij pectoris tormentum
Soluàt.......

Rex ...... ecquis fuerit?

Reg. Daniel eſt, qui ſobrius,
Caſtus, humilis, Deo plenus,
Et ſomnia, & intima cordium
Verus interpres aperit.
Hunc tuus olim Genitor
Sapientum, atque Haruſpicum
Conſtituit Principem.

Rex VoceturDaniel.

Reg. Caſte puræ mentes cælico
Solæ implentur Numine:
Nam proteruas horret Deus,
Nec Angelico
Replet improba pectora lumine.
Caſtæ &c.

Daniel. Adſum Imperijs tuis
O noſtræ ſortis arbiter

Rex Audi Daniel', ſi ſcripturam
Nulli notam legeris,
Tertius in Regno meo
Auro clarus, & Oſtro
Fulgebis.. *Dan.*

Dan. Serui tui, Rex, Danielis
Ampla munera, ſpecioſa,
Pretioſa
Pectus humile non ſollicitant.
Miſer ille,
Qui ſtupenti in auro pupillæ
Totum ſe mancipat!
Sed incognita ſcripta legam,
Et arcana pandam tibi.

Reg. O Regi proſpera
Nunciate ſydera:
Sydera maximis
Amica Regibus
O Regi &c.

Dan. Rex, quòd Altiſſimum
Imperio tumidus Deum
Spreuiſti, & vaſa, & pocula
Domus eius prophanis
Et Procerum, & Pellicum
Polluiſti labijs;
Ideo te manu vltrici
Sic iratus admonet.

Manè Regnum impletum eſt.
Thecel. Seuerà
Appenſus ſtatera,
Minus habens inuentus es.
Phares. Aduerſis
Regnum diuiſum
Medis dabitur, & Perſis.

Rex. Infelix quid audio,

Heu

Heu ſupplicia quàm horrenda,
Quam tremenda
Parat vltor Deus?

Nunc. Fuge, propera, nulla ſalus,
Rex. Quæ Clades horrida?
Nunc. Propera,
Celera,
Proripete,
Victor hoſtis adeſt.

Symphonia bellica.

Reg. Care Coniux fugiamus.
Rex. Miſer quò fugiam?
Iam iam terribili
Armorum crepitu,
Turbarum ſtrepitu
Exanimor:
Reg. à 2. Sed fugiamus,
Rex Vna in fuga relinquitur ſpes.

Symphonia ferocior.

Dux. Eia inuictæ Cateruæ feroces
Atroces
Arma, arma ſtringite:
Regem infringite
Implacabiles | Inexorabiles:
Ferite | Lacerate.
In Regem ſæuite | Trucidate.
Cho. Mil. Corruas, | Superbe.
Occidas | Proterue.
Improbe Rex | corruas.
Per hæc vulnera funde cruorem,

Mitte

Mitte trucem ſpiritum.

Dux. Ferite | Lacerate,
In Regem ſæuite | Trucidate.

Cho. Victoria, Io victoria { concidit, occidit, impius Rex:
Noſtro traiectus ferro
turpauit aulam ſanguine.

Dux. Io victores dicite Pean
Io triumphe, io victoria.

Cho. Io pean, io triumphe, io victoria.

Vnus. Heu miſerabiles,
Heu lacrimabiles
Balthaſaris exitus?
Res humanæ
Heu quàm vanæ
Eſtis, & inſtabiles.
Heu miſerabiles &c.

At vos admoniti,
Inſtare vltorem
Deum ſacrilegis;
Viuite pij,
Viuite ſobrij.
Inter pocula plena Lyæô
Superenatat ebrietas:
Sed altiſſimo amica Deo
Naufragatur Pietas.

FINIS.